

Admodum Illustris, et Reverende Domine. Quod scribis de domo  
et ecclesia, liberalitate tua patribus Societatis Iesu accommodata,  
libentissime audivi. Reddet Deus mercedem plenam: si enim quod uni  
ex minimis eius facimus, ipsi facimus; multo magis, quod multis  
Christi servis facimus; ipse Christus Dominus sibi factum ducet.  
Quod vero de altari privilegiato (sic enim vulgo dicuntur) petis,  
omnino arduum est, hoc praesertim tempore, quo hic Romae de mode-  
randis indulgentiis serio agitur. Et si ullae sunt indulgentiae,  
quae moderatione indigeant, illae potissimum esse videntur, quae  
ad altaria privilegiata spectant. Itaque Summus Pontifex, ubi nul-  
la sunt eiusmodi altaria, interdum adduci se patitur, ut aliquid  
concedat, sed pro certis diebus, certis personis, et tempus defini-  
tum. Ubi autem iam sunt eiusmodi altaria; nullo modo concedit, quod  
ego sciam. Porro Nancae non unum, sed plura privilegiata altaria  
esse dicuntur: quod si ita est, ut viri è fide digni affirmant,  
non video quomodo possit novum altare privilegiatum à Summo Ponti-  
fice impetrari. Spero boni consules, si quod primum à me petisti,  
non accipias: id enim non voluntati, quae promptissima est, sed  
rei difficultati tribuendum erit. Precor autem Deum, ut personam  
tuam diu servet incolumem. Romae die 16 octobris 1606.

Epist.famil. XLVIII. Arch.Vat. MSS.Gesuit. 18, fol.52. Brouillon  
autogr.